36

dies, nec eris ingratus eris, qui adhodiernum habet in quo corrigaris;
Sic ergo ad istam mulierem; Nec ego te damnabo; Sed facta secu-
ra de praeterito, cave futura, Nec ego te damnabo; delevi quod com-
misisti, observa quod praecepi, ut invenias quod promisi,

EXPLICIT XXX INCIPIT XXXI

De eo quod dictum est Ego sum lux mundi, qui se-
quitur me non ambulabit in tenebris sed habebit
lumen vitae.

QUOMODO AUDIVIMUS ET INTENTI ACCEPI-
mus cum rem evangelium legeretur, non dubito quod omnes etiam in-
tellegere conati sumus, et quisque nostrum de re tam magna
quae lecta est pro suo modulo cepit quod potuit, et posito pane nemo est
qui se queratur nihil gustasse; rediterum non dubito quia difficile
quisquam est qui totum intellexerit, Tamen etiam si est quomodo verba domini nostri Ihesu
Christi modo ex evangelio recitata sunt intellegat, tolleret ministe-
rium nostrum quo vos, si possumus, illo adiuvante tractando faci-
amus ut vel omnes vel multi intellegant quod se paucos intellexisse laetan-
tur. Quod ait dominus, Ego sum lux mundi, clarum puto esse eis qui habent
oculos unde huius lucis participes fiant, Qui autem non habent oculos nisi
in sola carne, mirantur quod dictum est a domino Ihesu Christo, Ego sum lux
mundi, et forte non deest qui dicat apud semetipsum, numquid for-
te dominus est Christus sol iste qui ortu et occasu peragit diem; Non enim de-
fuerunt haeretici qui ista senserunt, Manichei solem istum oculis car-
neis visibilem expositum et publicum non tantum hominibus sed etiam pecoribus
ad videndum Christum dominum esse putaverunt, Sed catholicae ecclesiae
recta fides improbat tale commentum, et diabolicam doctrinam
esse agnoscit, nec solum cognoscit credendo sed in quibus potest convincit
etiam disputando, Improbemus itaque huiusmodi errorem quem sancta
ab initio anathematizavit ecclesia, non arbitremur dominum nostrum Ihesum Christum hunc
esse solem quem videmus oriri ab oriente, occidere in occidente, cuius cur-
sui nox succedit, cuius radii nube obumbrantur, qui certa de loco in
locum motione commigrat, Non est hoc dominus Christus, non est dominus Ihesus Christus
sol factus, sed per quem sol factus est, Omnia enim per ipsum facta sunt et sine ipso
factum est nihil, Est ergo lux quae fecit hanc lucem, hanc amemus, hanc
intellegere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsum duce ipso aliquando

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0077